

tium hoc fuit. Erat nonnullarum cum Rhetorum & Noricorum, tum earum terræ Germaniæ gentium, quæ sunt his finitimæ, Dux atque princeps Sigismundus Federici Romanorum imperatoris frater, homo non malus, sed qui facile malis hominibus crederet. Ei cum senatu Veneto jam inde a majoribus orta necessitudo intercedebat. itaque vetusta consuetudine homines mercaturæ dediti omnibus ex reipublicæ municipiorum vicinitatibus ejus ad oppida libere commeabant, mercatumque in primis celebrem apud Beurenenses quotannis fieri solitum, statu tempore petebant. Id cum anno post urbem conditam millesimo sexagesimo sexto fecissent, Sigismundi jussu ipso in mercatu, ad quem fide publica venerant, comprehensi suis cum rebus, custodiaque sunt traditi. Et jam antea Sigismundi opera nostros homines, qui argenti fodinas in Alpibus exercebant, fugatos, conductis jure gentium secturis & cuniculis deturbaverant: eosque cuniculos, quod essent ipsorum vicos & municipiis vicini, vi atque armis parvo negotio possidebant. Ejus rei causam quærentibus, dictabunt Sigismundi clientelas, quæ in imperio Veneto essent in Benaci lacus ripa, suis e finibus expelli: de qua tamen controversia jactari pridem cœpta per interpretes ab utrisque amice disceptabatur. Itaque cum eos qui ex Reipublicæ municipiis ad ipsorum mercatum vere inito venerant, in vincula conjecissent, omnibus ex eorum oppidis atque agris, tum ex Leontiis & Helvetiis coacto jam milite apud Tridentum Germani hominum numero ad decem millia; id enim agere constituerant; Gaudentio Amasiano duce in Veronenium fines impetum faciunt. Germanos autem illos diximus, quando nunc quidem omnes eæ ab Alpibus nationes, compluresque aliæ, uno nomine Germani appellantur. Flumen est Athesis, ex Arbona monte profluens, quod duobus auctum fluminibus Tridentum fertur, Alpesque reliquias dirimens, vallem plerunque angustam efficit Veronam usque, quam etiam interfecat. ejus fluminis lœvam ingressi ripam Germani, ac quindecim millibus passuum

con-

1487
*Rheticum
bellum.**Athesis de-
scriptio.*